

gitimi & à DEO ordinati conjugii, grave istud cœlibatûs votum suis Clericis imponere conantur, contendentes, illud non solum matrimonio contrahendo insigni esse obstaculo, sed etiam pro causâ dirimente matrimonium contractum, esse habendum; quam sententiam in *Concil. Trid. Sess. 8. Can. IX.* sub anathematis fulmine credendam proposuerunt: Verba sic habent.

§. 35.  
*Si quis dixerit: Clericos, in sacris ordinibus constitutos, vel regulares, castitatem solenniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, & oppositum nil aliud esse, quam damnare matrimonium: posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt, se castitatis, (etiamsi eam voverint) habere donum; Anathema sit; cum DEUS id recte petentibus, non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari.*

§. 36.  
 Argumenta, quibus Pontificii hanc sententiam firmare nituntur; partim ex quibusdam scripturæ dictis, in alienum sensum detortis, partim ex rationibus stramineis emergunt, quæ tamen eversionem haud præstant: Videbimus unum atque alterum.

§. 37.  
 Ex V. T. adducunt i. illud *Levit. 15. vers. 16. Emissio seminis immundum facit.*

§. 38.  
 Resp. Textum ibi non de legitimâ consuetudine conjugali, sed diserte & expresse de aliis casibus

abus